

1534 tam ex ærario pecuniam expromerent, quanta ad nonnullas militum cohortes conficiendas Hippolyto Mediceo Cardinali tradenda sufficeret.

*Chariadenus Tuneti & Africa oram Suleimani imperio adjugit.*

Verum Chariadenus in Pontiam insulam aquandi causa diversens, in Africam navigationis iter arripiens, summa celeritate confecit, ut diversa velificatione deceptum Muleassem, Tuneti Regem, imparatum offenderet. Primo appulsu Uticam occupavit, deinde Tunetum aggressus, ostentato Boscetis Regis nomine, quem per summam injuriam Muleasses frater regno ejece- rat, & in quem Tunetanorum studia, tyrannidem illius pertæ- si, propensissima erant, nullo negotio urbe potitus est; oppi- danosque in verba Suleimani jurare compulit. Quo facto, cum reliqua minora Numidiæ oppida in illius potestatem concessis- sent, brevi compositis rebus, universam illam Africa oram ottomanico imperio adjunxit.

Suleimani vero maritimis viribus ad Africa urbes expugnandas conversis, nihil annalibus inferendum in Europa mari gestum est; præter legati Venetæ classis facinus, qui Philippi Mazzæ, Hiero- solymitani equitis, Melitensium navigiorum ducis, pervicacem au- daciam fregit, ac nefariorum scelerum meritas ab eo poenas exe- git. Is enim cum prædæ avidus Ionicum, atque Aegeum mare excursionibus peragraisset, in Adriaticumque penetraisset sinum, Turcarum non modo, verum etiam Christianorum navigiis, at- que opibus infensus, a sinus Adriatici præfecto captus, ac Ve- netias transmissus fuerat. Qui cum reus causam ex vinculis di- ceret, a Senatu ad quadraginta viros capitales rejectus, datis va- dibus, e carcere emissus, judicio fuga se subtraxerat. Inde tri- bus instructis omni bellico apparatu biremibus, huc, atque illuc in omne scelus proruens, Veneto nomini per ludibrium infen- sus, prædabundus ferebatur. Legatus impatiens animi, cum ad justam anhelaret vindictam, de illius navigatione per explorato- res certior factus, improvise prædatorias biremes cum ipso Phi- lippo cepit; captas spoliavit; Philippo caput præcidi jussit; captivis Turcis libertate restituta, Byzantium missis; biremi, qua infaustus præfectus vehebatur, incensa; binas reliquas Cæsari petenti transmisit: is enim, licet Hierosolymitanis militibus in sua tutela, ac patrocinio quiescentibus, factum ægre animo laturus videretur, attamen de Philippi nefariis cri- mi-

*Philippus Mazza a classis Vene- tæ legato capite da- mnatus.*